

mus, cum *Donell. 9. comm. i.* ad duo oculos dirigendos esse pertinet. I. Ut exponatur, quando huic legitimæ successioni locus sit, sive quando talis deferatur, & II. Quibus personis, ac quo ordine illa deferri solita fuerit, & etiamnum soleat.

### XV.

Constat itaque ex *l. quamdiu 39. l. In plurimum 70. ff. de acquir. hered. l. quamdiu 89. ff. de R. f. l. 8. C. com. de success.* quod legitimis heredibus locus nullus sit, quamdiu speretur Testamentarius: quod sanè controversiā caret, nec quicquam in contrarium movere potest vel debet, *l. si quis ita 82. ff. de her. inst.* Tum verò demùm testamentarius heres sperati desinit, statim atque intestatum aliquem decesse certum est. Ideoque quis nam intestatus esse dicatur præmoneri hic nos oportet.

### XVI.

*Intestatus  
quis.*

Eleganter & rotundè expressit hoc *Donell. 9. comm. i. in-*  
*quiens*, *Intestatus* is est, qui nullo utili testamento decepsit. Prolixè & specialius idem explicavit *Ulpian. in l. i. ff. de suis & legit. hered.* Ubi quatuor modis, vel, si velis, quinque, aliquem pro intestato habendum monet: I. Si testamentū non fecerit, vel quod noluerit, vel non potuerit ut impubes. II. Si non jure fecerit. III. Quando Jure quidem ab initio factum, ruptum tamen idem postea sit vel irritum reddatur IV. si nullus ex eo heres extiterit, addatur *Forster. de success. lib. 3. cap. 3. & 4. pr. Inst. h. t. ad quod Bald. & Barld. & Interpp. communiter.*

### XVII.

Subjungimus & aliis modis idem adhuc contingere posse, ut *intestatus* quis dicatur, vel habeatur saltem pro *intestato*; Et V. Quando filius in testamento patris ex legitima causa exheredatus esset, eam tamen heres scriptus probare nequirit, atque ita per sententiam testamentum rescinderetur. Et VI. Si de Jure Prætorio p contra tab. bon. poss. testamentū annulletur *l. ut liberis 17. C. de collat.* Atque hosce duos modos addunt *Roland. Passager. de succ. ab intest. in pr. Azo in summ. C. de suis & legit. hered. n. 2. Schürer. de ber. ab int. tit. 3. quamvis ultimum*